

TRIBUNAL DIOCESANO DE MADRID-ALCALA

Coram Ilmo. Dr. MOYSES GARCIA TORRES, Officiali ac Ponente

NULLITATIS MATRIMONII (*Ex capite impotentiae*)

SPECIES FACTI (compendiose redacta). Cum partes in causa simul convenirent, mutuam compararunt inter se cognitionem, ex qua amicalis consuetudo non sero fuit exorta. Post annum iam haec consuetudo in veras praematrimoniales relationes fuit traducta, quae relationes sunt normaliter evolutae. Sex circiter mensibus relationes sunt protractae et communi concordia matrimonium fuit celebratum. Instaurato coniugali convictu, qui ad septemdecim annos fuit protractus, haud felix fuit initi coniugii exitus, tum ex indole diversa utriusque nupturientis, quae quibusdam dissensionibus occasionem praebuit, tum praesertim quia, ut tradit actrix in oblato libello, vita intima matrimonii penitus normaliter non fuit absoluta, siquidem proles exulavit. Et ratio est quia conventus iam ante matrimonium duplici orbiti laboraverat una cum obstructione canalium deferentium, quae perfectam consummationem non patiebatur nec inde verum eiacularare semen poterat.

IN IURE

1. Primarius matrimonii finis ad procreationem et educationem prolis ordinatur, et hoc tum natura sua tum ex legalibus praescriptionibus, sicut videre est in canone 1.015, par. 1.^a. Consequenter matrimonialis contractus natura sua ordinatur ad actum coniugalem, quo coniugés fiunt una caro, ut exinde proles procreetur ac educari rite valeat. Si quid ergo directe obstet huic primario fini, ipsi coniugii naturae sese opponet et contractum irritum efficiet. Directe opponitur praepremis tum viri tum mulieris impotentia, quae impedimentum dirimens a natura constituit, ac praetensum coniugium nullum facit. Circa ipsum haec tradit can. 1.068, par. 1.^a: «Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri, sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso iure naturae dirimit.» Impotentia proinde est incapacitas viri aut mulieris ad copulam perfectam, i. e. de se aptam ad prolis generationem (WERNZ-VIDAL: *De Matrim.*, n. 217, p. 240). Haec incapacitas ex multiplici capite originem ducere pot-